

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Sapientia uel scientia t  
cum fonte primo

Sepe dum quosdam maior scientia erigit a ceterorum societate disiungit, et quasi quo plus sapiunt eo a concordie uirtute desipiscunt. Sed hii audiant quid per semetipsam Veritas dicat: habete sal in uobis et pacem habete inter uos. Sal quippe sine pace non uirtutis est donum, sed dampnacionis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit; et idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter, si uoluisset, potuit uitare peccatum.

Gregorius in pastoralis.

Saepe uero dum quosdam maior scientia erigit, a ceterorum societate disiungit, et quasi quo plus sapiunt, eo a concordiae uirtute desipiscunt. Hi itaque audiant quid per semetipsam Veritas dicat: Habete sal in uobis, et pacem habete inter uos (Marc 9:50). Sal quippe sine pace non uirtutis est donum, sed damnacionis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, et idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter, si uoluisset, potuit uitare peccatum.

Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, 3, 22 (SC 382, F. Rommel ed., p.404, ll.28-36).